



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 2. An omnes hæretici hanc censuram incurrant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

ante extraneam ad eandem, ut infra videbimus. Denique est optimum lignum, quia olim non imponebatur hæc censura ipso iure, sed imponi precipiebatur. Si quis Episcopus 1. quæst. 7. & ex Leon. Papa epist. 93. cap. vlt. & ex usu antiquorum Conciliorum aperte colligitur, nam hæretici prius instruebantur, & monebantur, & si pertinaces erant, tunc per censuram abijciebantur: ergo lignum est non esse impostam ipso iure diuino.

6. Secundo dicendum est, hanc censuram iure Ecclesiastico imponi omnibus hæreticis. Ita habetur ex ca. Achatius 24. q. 1. & c. Ad abolendam & c. Excommunicamus 1. & 2. de hæreticis, & c. Quicumque de hæreticis in 6. & c. Nouerit de sententia excommunicationis: estque hæc poena maxime proportionata huic delicto: tum quia sicut crimen est valde spirituale, ita & poena: & sicut crimen est maximum inter ea quæ possunt esse Ecclesiæ manifesta, ita etiā & poena grauissima est: tum etiam quia ipse hæreticus se ab Ecclesiā separat, & ideo iure ipsa Ecclesiā magis illum à se excludit, ac separat. Denique quia hæc poena alijs fidelibus est maxime utilis, propter ea, quæ iam indicauimus, & ipso hæretico potest esse medicinalis, quia ad finem respiciendi ei infligitur.

7. Tercio dicendum est, hanc censuram incurrere ipso facto: nam in prædictis capitulis ita fertur: & hoc addiderunt, noua iura antiquioribus, ad quæ antiquiora D. Thomas 2. 2. quæst. 11. artic. 1. Solum attendit cum oppositum docuisse videtur. Sed obijci potest illud Paul. ad Tit. 3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem diuita: quia non videtur hoc in dictis nouis iuribus seruari. Respondeo primo. Multos Patres tantum ibi legere, post vnam admonitionem, ut Iren. libr. 3. cap. 3. Tertul. de præscriptionibus hæret. cap. 16. & Amb. ibi, & libr. 2. de Abraham cap. 6. & libr. 8. in Luc. cap. 17. & August. epist. 162. quamuis Gratianus, in cap. Quæ dignor & in cap. Dixit Apostolus 24. quæst. 3. hæc duo loca Ambrosii & Augustini referat, iuxta hanc ergo lectionem facile responderetur, per legem ipsam fieri sufficienter monitionem. Tamen non est recedendum à lectione vulgaris, quæ in codicibus Græcis, & Latinis frequentior est, & recipitur ab Ecclesiā, & illa videtur Leo Papa in dicto sermone contra Eutich. & Athan. serm. 5. contra Arian. & epist. contra Serapianos, & oratione ad Maximum, & latè Hieron. super Paul. qua lectione supposita. Respondeo primo cum Chrysostom. ibi homil. 6. Paulum loqui de hæretico, cuius pertinacia ante monitionem non satis nota erat, & hunc vult Apostolus semel & iterum moneari, & instrui: & si non resipuerit, separari: quod etiam indicant illa verba, quia subuersus est, qui huiusmodi est. Quam expositionem, videtur probare Cano libr. 12. de locis cap. 9. ad finem, & bene noster Cornel. à Lapide super illum locum. Secundo dici potest Apostolum loqui ad Episcopum, ut ferat prohibitionem in illum, & ideo loqui de excommunicatione, quæ fertur ab homine. Denique licet sit sermo de excommunicatione, à iure, est facilis responsio, monitionem quæ fit per legem æquiualeere multis monitionibus, quia lex quotidie, & perpetuo monet.

8. Et per hæc satisfactum est fundamentis adductis pro prima sententia: nam prima quatuor testimonia Scripturæ, iuxta primam assertionem intelligenda sunt. Quintum autem, de anathemate lato ad Galat. 1. non est intelligendum de propria censura, cum Paulus etiam in Angelum de Cælo illud ferat, per quandam exaggerationem. Est ergo illa quædam execratio, & abominatio doctrinæ hæreticæ, & personæ illam docentis: ut ibi Hieron. & alii exponunt. De ultimo verò testimonio, quod erat ad Tit. 4. satis dictum est. Testimonia autem Pontificum secundo loco adducta iuxta primam conclu-

sionem procedunt. Solum oportet in eis notare, non omnia vel dicta, vel facta, quæ ibi referuntur, esse sub præcepto: sed quædam fuisse opera consilij, ad exemplum aliorum: ut est illud Ioan. Evangelij, & similia. Denique ad tertium iam ostensum est, hanc censuram præsertim ab ipso iure latam, non semper fuisse in usu Ecclesiæ. Solum circa confirmationem de prohibitionem recipiendi sacramenta ab hæretico, etiam necessaria, & in extrema necessitate aduertendum est, per se loquendo, non esse talem prohibitionem, sed solum quando esset graue periculum, vel aliquod lignum deficiendi à fide, ut fuit in casu illo Hermingildi Regis, quod punctum, in sequentibus iterum attingemus, & videri possunt dicta de Sacramentis, tam in communi disputat. 18. sect. prima, quam in particulari de eucharistia disputat. 72. sectio. quarta, & de poenitentia. disp. 26. sectio. quarta, & de censuris disp. 11. sect. 1. à num. 14.

SECTIO II.

An omnes heretici hanc censuram incurrant.

Intelligatur ratio dubitandi, & punctum difficultatis, tres modi hæreticorum distinguendi sunt, in primo sunt hæretici tantum externi, qui etiam fidei dici possunt, quia in mente re vera non sunt hæretici, licet tales exterius se ostendant, & de his dixi supra disputatione 14. sectione vltima non incurrere poenas hæreticorum proprias, ac proinde sequi illam excommunicationem, quantum est ex parte hæreticis: quod addo, quia si alioqui sint fautores, vel defensores hæreticorum, illo titulo incurrunt poenas, iuxta infra dicenda: & ideo de illis nihil hic repetere necesse est. In secundo ordine sunt hæretici veri in mente, qui nullo modo exterius suam hæresim manifestarunt, qui dicuntur hæretici mentales: & dici etiam solent per se occultis respectu humanæ cognitionis, quæ ad interiores actus alienæ mentis non pertingit. In tertio ordine sunt veri hæretici externi, qui & mente deliberata, ac pertinaci, hæresim conceperunt, & in eius confessionem exterius prodierunt: & hi sunt in duplici differentia, quidam enim sunt publici, qui coram alijs suam hæresim manifestarunt, sub quibus comprehendimus tam vere, & rigoroze publicos, quam omnes, qui saltem coram paucis hæresim ostenderunt. Et de his omnibus certissimum est, ipso facto incurrere hanc censuram, quia omnis excommunicatio ipso iure lata, ita incurritur, quia ut minimum hæc est vis & efficacia legis Canonice, neque de hoc est controuersia inter Doctores. Alij sunt externi hæretici, omnino occultis, qui à Doctoribus vocantur occultis per accidens, quia per se cognosci possent ab hominibus, accidentarium autem est, quod testibus careant. De omnibus ergo occultis tam per se, quam per accidens potest esse dubitatio.

1. Prima opinio affirmat omnem hæreticum omnino occultum etiam per se, seu pure mentalem, statim hanc censuram incurrere Tenet Glossa in cap. Cogitationis, verb. Patitur de Pænit. d. 1. & Glossa in Clement. 1. §. Verum verb. Eopso, de Hæret. Nam licet non declaret loqui de pure mentali, sed absolute de omnino occulto, tamen ex discursu, & ex verbis, quæ allegat, satis manifestum est, in hoc sensu loqui. Et idem habet Glossa 24. quæstione prima in principio verb. Qui vero, & in simili alia Glossa in cap. vnic. §. Omnem, de schismaticis in 6. estque hæc communis opinio Canonistarum, ut videre licet in Felino c. 1. de Pænit. pt. n. 7. & in tract. Quando conatus puniatur. num. 4. ubi alios allegat, & plures illos sequendo Roias in tract. de Hæret. p. n. 240. & seq. & hanc opinionem sequutus est etiam Adrian. in 4. in materia

Ad 3. in n. 4

Ad confirm. ibid.

Hæretico, & triplex Genus.

Subdistinguitur.

Opinio in hac sectione.

materia de confessione q. 2. §. Alij probant, & quodlib. 8. q. 1. & plures citat. Sanc. libr. 2. in Deralog. ca. 8. & Farinac. de Hæresi q. 192. §. 1. a. n. 4. Fundamentum est, quia censura lata propter aliquod peccatum, incurritur eo ipso, quod peccatum consummatur, si lata est ipso iure: sed peccatum hæresis in mente consummatur, sicut & fides: ergo eo ipso incurritur censura propter illud, ipso facto imposita. Et confirmatur maxime: nam iura imponentia hanc censuram, extendunt illam ad credentes, ut patet ex cap. Excommunicamus. §. Credentes de Hæret. ergo iuxta rigorem talium verborum incurritur hæc censura, per falsam fidem mentis: nam ille iam credit. Confirmatur secundo, quia si huiusmodi hæreticus à iudice Ecclesiastico interrogetur, an aliquando crediderit talem hæresim, & ipse fateatur, iuste punietur; ergo tale peccatum cadit sub Ecclesiasticam iurisdictionem: ergo etiam cadit sub legem imponentem censuram ipso facto, propter tale peccatum. Et hic addi possent argumenta, quibus aliqui probant, etiam coactivam se extendere ad actus interiores etiam directe, & per se. Sed illa omitto, quia videri possunt in lib. 4. de Legib. cap. 12.

3. Secunda opinio omnino contraria esse potest, hæreticum omnino occultum, tam per se, quam per accidens, hanc censuram non incurere. Cuius opinionis in particulari non inuenio auctorem præter aliquos, qui in generali tam de censuris, quam de irregularitatibus hoc dixerunt, ut in propria materia tractatum est. Potest tamen suaderi: quia eadem est ratio de occulto per accidens & per se, sed hæresis per se occulta non est materia huius censuræ: ergo nec per accidens occulta. Maior probatur, quia ad exercendam iurisdictionem, non est sufficiens potentia cognoscendi: sed necessaria est actualis cognitio, quomodo enim iudex de his, quæ ignorat, iudicabit, etiam si illa cognoscere potuerit? occultum autem per se, & per accidens solum differunt in potestate cognoscendi, in actuali vero defectu cognitionis conveniunt: ergo conveniunt etiam in hoc, quod sunt extra iurisdictionem humanam, quando sunt extra humanam cognitionem, ac proinde, si propter unum non incurritur censura ex defectu iurisdictionis, neque propter aliud incurritur.

4. Nihilominus vera est sententia media, ad quam probandam, dico primo. Hæreticus mentalis, seu per se occultus non incurrit hanc censuram. Hæc est communis opinio Theologorum, quos late retuli in dicto li. de Legib. & in tom 5. de Censur. disp. 4. sect. 2. & ideo nunc illos omitto. Multi etiam ex iurisperitis, præsertim modernis, hanc partem sequuti sunt, quos refert, & sequitur Simanc. de Institut. Ecclesiast. tit. 42. num. 3. & sequentibus, & latius Sancius in loco citato, Garcia parte 11. cap. 10. num. 91. & Farinac. quæst. 192. numer. 6. Vnde Penha in Scholio ad Roas. 1. part. num. 240. & 2. par. num. 319. testantur, hanc opinionem prævaluisse, & in praxi servandam esse. Fundamentum huius sententiae generale est, quod iurdictio Ecclesiastica, per se, & directe non extenditur ad actus mentis. Dicimus autem, per se, & directe, quia ratione actus exterioris, quatenus interior ad illum est necessarius, vel potest in illum prodire, potest ipse interior actus indirecte, & quasi consequutione quadam, cadere sub legem Ecclesiasticam, secus autem directe, & per se. At vero in præsentī, ut hæc excommunicatio per hæresim mentalem incurreretur, necessarium erat, iurisdictionem Ecclesiasticam ad puniendam delicta per se, & directe, cadere in talem actum: ergo non potest talis actus esse materia talis pænæ. Consequentia cum minori sunt evidentes. Maior autem frequens est in iure Cap. Sicut tui, & Cap. Tuas nos de Simonia Cap. Erubescant 32. dist. vbi dicitur, Eccle-

siam non iudicare de occultis, quod maxime verum habet in occultis per se qualia sunt quæ in corde latent. Vnde est illud 1. ad Corinth. 4. Noli ante tempus iudicare quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: nam cum hæc soli Deo pateant, iudicio eius sunt reservata.

5. Ut hoc autem melius intelligatur, scire oportet, duplicem esse iurisdictionem in Ecclesia. Vna est in foro æterno, & sacramentali, & hæc circa actus mere internos versari potest, quia non ordinatur ad externam Ecclesiæ gubernationem, sed ad internum animæ bonum. Vnde peculiari modo exercetur à Sacerdote, ut ministro Christi, cui etiam internum animæ iudicium, suo nomine exercendum, ipse committit, & ideo etiam in cogitationes internas cadit, quamvis necessarium sit, ut ab ipso reo exterius manifestentur in sacramento, quia alias nullo modo posset homo de illis iudicare. Alia vero est iurdictio Ecclesiæ in foro externo, & ad gubernationem exteriorem Ecclesiæ ordinata, & ad hæc pertinet punitio delictorum, & ideo non cadit, nisi in actiones externas directe & per se, ut declaravi. Solet autem hæc iurdictio à iurisperitis subdividui in iurisdictionem voluntariam, & involuntariam. Voluntaria dicitur, quæ non operatur in subditum contra voluntatem eius, sed ex voluntate, & consensu eius. Et hæc etiam solet ordinari ad internum bonum animæ, & ideo etiam circa actus internos aliquando exercetur: ut in concessione indulgentiarum, & in dispensatione voti, quæ potest etiam esse de voto mentali, superiori proposito. Nam cum ista pendeant ex voluntate subditi, & pertineant ad beneficia, seu commoda eius, non est alia notitia necessaria, præter informationem eius. Involuntaria autem iurdictio dicitur illa, per quam subditus, etiam inuitus obligari potest, vel cogi, & ad hanc proprie pertinet punitio, & ideo per se requirit actum exteriorem, de quo possit Ecclesiæ constare.

6. Dico secundo. Ut hæc censura incuratur, sufficit hæresis externa, quamvis per accidens occultissima sit. Ita docent omnes Theologi: & à fortiori Iuristæ supra allegati, & habetur in Repertor. Inquisitor. verb. Pæna, & videri possunt Panor. in Procemio Decretal. num. 6. in fine, & cap. vlt. de hæret. & ibidem Felin. & Gutier. lib. 1. Canon. quæst. cap. 18. num. 18. Covar. in Regul. Peccatum 2. p. in principio num. 7. & Simanc. dicto tit. 42. num. 10. & sequentibus, qui referunt instructionem quandam Inquisitor. Hispalensem instruct. 1. cap. 5. in quo dicitur, hæreticum quamvis omnino occultum reconciliandum esse, etiam occulte: nam si reconciliandus est, excommunicatus est. Declarant autem de omnino occulto per accidens. Ratio autem est, quia talis actus, eo ipso, quod externus, & sensibilis est, cadit sub iurisdictionem Ecclesiæ: sed Ecclesia imponit hanc censuram ipso facto pro omni peccato hæresis, sub iurisdictione comprehenso, ut exiurib. supra citatis manifestum est: ergo per tale peccatum, etiam si aliis non sit notum, hæc censura statim incurritur. Consequentia clara est. Ut autem Maior intelligatur, & solvatur difficultas tacta in secunda opinione, oportet advertere, aliud esse loqui de potestate iurisdictionis, aliud vero de exercitio, vel usu eius: nam ad potestatem sufficit materia, seu actus, qui per se possit sub humanam cognitionem cadere, quia potestas puniendi non pendet ex actuali cognitione, & ideo extenditur ad omnem actum externum, qui per se cognosci potest. Ad exercitium autem iurisdictionis esse poterit necessaria actualis cognitio: sed in hoc subdividui quæ oportet: nam usus iurisdictionis punitivus, de qua tractamus, duplex est: vnus per sententiam particularem à iudice latam: & de hoc usu verissimis dicitur,

Declaratur per distinctionem duplicem iurisdictionis,

2. Affert, communis sententia.

Ratio iurisdictionis.

Nota pro solvenda difficultate, in numero.

ditur, supponere non tantum potentiam cognoscendi, sed etiam cognitionem: alius vero usus est per sententiam generalem, & multo magis per legem inferentem poenam per se ipsam, & talis usus non requirit actualem cognitionem in iudice, vel legislatore cuiusque delicti singularis quod punit: sed satis est, quod sit notum ipsi peccanti, quia poena fertur quah sub conditione *si hoc feceris*, & ideo impleta conditione, de qua ipsi peccanti constat, statim poena incurratur.

7. Atque hinc responsum est ad difficultatem secundæ opinionis. Ad fundamentum autem primæ dicendum est, quamvis peccatum hæresis, in foro Dei consummatur in mente, in foro Ecclesiæ non consummari, donec exterius manifestetur: & ita esse intelligenda iura canonica: nam in hoc foro loquuntur. Ad 5. autem *Credentes*, qui in prima confirmatione asseriebatur, omisis variis acceptionibus illius vocis *credentes*, quas infra attingam disp. 24. sect. 1. dicendum est, quia cumque ratione accipiuntur debere esse credentes, etiam exterius, ut hanc censuram incurrant. Distinguntur autem hi ab hæreticis, vel quia hæretici, quasi per antonomasiam, dicuntur inuētores, vel dogmatizatores hæresum; credentes autem dicuntur, qui illis adherent, & hoc significatur in cap. *Excommunicamus* 2. §. vnic. in ultimis verbis, de Hæret. vel certe quia hæretici dicuntur, qui distincti, & expresse sciunt hæreses discernere, & illas credunt: credentes autem dicuntur qui confuse credunt ea, quæ alij hæretici magistri errorum docent, sicut fideles simplices credunt verā esseque Ecclesia docet. Ad secundam confirmationem de illo, qui coram Inquisitore confitetur hæresim mentalem, dicendum est, si confiteatur illam, non solum ut præteritam, sed quia tunc etiam illi adheret, tunc merito posse puniri, quia per illam confessionem fit exterius hæreticus. Si autem simpliciter confiteatur, aliquando interius ita seuisse, iam vero mentem mutasse, & nunquam exterius suum errorem significasse, tunc in rigore non est dignus poena, neque absolutione à censura indiget, quia per illam confessionem non fit exterius hæreticus iuxta ea, quæ statim subiiciam.

8. Ad complementum enim huius puncti necessarium est exponere, quando interior hæresis sufficienter exterius prodatur, ut fiat materia huius censure? In quo in primis supponendum est, duobus modis posse hanc externam significationem fieri, scilicet, aut verbis, aut factis. Ita docet Eymericus in Director. Inquisitorum, quæst. 50. & ibi Penha in comment. & Rojas tractat. de Hæret. an. 276. & specialiter n. 296. & sequentibus, in prima parte tractatus. Et prior pars de verbis per se nota est, quia verba sunt expressa signa conceptuum, siue sint voce prolata, siue scripta. Altera etiam pars de factis probatur, quia etiam interior mens per externum factum tanquam per effectum manifestatur. Et patet in confessione fidei, quæ non solum verbis, sed etiam factis, vel alijs externis signis fit, ut supra vidimus: ergo etiam externa confessio hæresis, potest per facta sufficienter fieri: tunc autem hæresis fit externa, quando confessio, seu professio eius exterius fit. Imo addunt dicti auctores magis fieri hæresim externam per facta, quam per verba: non quia tam expresse, & formaliter facta significant, sicut verba, sed quia ostendunt animum magis obfirmatum in tali errore, seu in talis sectæ professione.

9. Hoc ergo supposito, dicendum est, duas conditiones requiri, ut signum externum ad constituendam hæresim externam sufficiat. Prima conditio est, ut signum sit completum, id est satis determinatum & integrum, ad experimendam hæresim internam. Ratio est, quia hæresis interna, fit externa per sensibilem significationem, sed talis significatio non fit, nisi per completum signum, per quod

Suarez de Fide.

possit interna mens ab alijs cognosci: ergo donec tale signum exhibeatur, & compleatur, non est externa hæresis commissa. Sufficiet autem, quod signum sit completum vel ex se, & impositione sua, siue ex consuetudine, siue ex circumstantijs adiunctis, & antecedentibus, vel consequentibus. Ita docent moderni Theologi 2.2. quæstione 11. & Vasquez 1.2. disp. 160. cap. 5. num. 20. & 3. part. tom. 4. tract. de excom. dub. 19. num. 20. Sancius libro secundo Decal. cap. 8. à numero septimo, & Castro libro secundo de iusta hæret. punit. cap. 18. & Siman. tit. 42. num. 7.

10. Ut hæc conditio melius intelligatur, & ad varios casus facilius applicari possit, aliqua exemplum tam in verbis, quam in factis adhibere utile erit. Nam in primis quod ad verba attinet, si quis de hæretici cogitans, ac deliberans, tandemque consentiens, unum, vel aliud verbum concessum, & imperfectum exterius proferat, ut V.g. *Impossibile est. Non ita est*, vel quid simile, non incurrat censuram, quia ex vi talis verbi, intelligi non potest, de qua re loquatur. Idem si quis credens aliquid, quod ipse putat esse hæresim, illud exterius proferat, quod re vera in se hæreticum non est, si non declarat animum suum, nondum censuram incurrat, quia nondum exterius suam hæresim declarauit, quæ magis in animo, quàm in re credita consistebat. Et eadem ratione si quis veram propositionem credat cum animo deliberato non credendi contrarium, etiam si Ecclesia illud definiat, quamvis rem creditam exterius proferat, si animum suum non declarat, non incurrat, quia nondum est hæreticus exterior. Secus vero erit, si aliquis credens interius veram hæresim, illa exterius verbis æquiuocis pronuntiet, nam si illa verba in aliqua propria significatione sensum hæreticum prodant, licet in alia significatione possint habere sensum Catholicum: nihilominus sufficiunt ad hæresim externam, & consequenter ad censuram. Ratio est, quia illa verba sufficiunt de se ad explicandam hæresim exterius, & verborum ambiguitas solum potest per accidens hæresim occultare: per se autem sufficienter est exterius manifestata, & ita docui tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 3. numer. 17. sequitur Sancti Decal. cap. 8. numer. 26.

11. Quod vero ad facta attinet, si quis dum interius circa hæresim discurrens, & illi tandem consentiens, aliquid signum imperfectum exterius faciat, ut V.g. mensam, aut femur percutiat, nondum est hæreticus exterior, nec excommunicatus, quia ex vi illius exterioris motus, nemo intelligere potuit, de qua recogitaret, vel cui parti consentiret. Deinde, quod notandum est, etiam si aliquis ductus interiuri hæresi, vel occasione illius, aliquid exterius faciat, si opus, quod facit, non est proprium signum hæresis, non satis erit ad hæresim externam, neque ad censuram, ut V.g. si quis credens, fornicationem simplicem non esse peccatum, inde sumat facilitatem sic peccandi, non fit hæreticus exterior, quia opus illud per se non procedit ab hæresi, neque illam indicat, & idem est in similibus. Secus vero erit, si opus externum de se sit proprium signum interioris fidei, & religionis, ut si quis rebaptizet ex animo hæretico, vel contumeliam inferat imagini, vel aliquid simile. Neque obstat quod hæc possint interdum fieri sine animo hæretico per ignorantiam, vel per fictionem, quia hoc habent fere omnia signa externa, & quia inde, ad summum, oritur quædam æquiuocatio, vel ambiguitas, quæ, ut dixi, facit rem occultam per accidens, non per se: quia ut mens, per se loquendo, fiat nota alijs, satis est, ut per signum sufficiens ostendatur, & ab illa tale signum prodeat. Addit Caietan. dicta quæstione vndecima, articulo quarto, etiam amissionem irreligiosam sacrilegam, posse ad hoc sufficere: ut si quis ex concepta hæresi nunquam Missam audiat, vel nolit Eucharistiam adorare,

E c

quando

Casus vari
circa expres
sionem ver
balem deci
duntur.

Item alij cõ
ca expresse
nem per
facta.

quando eleuatur; quia, secundum commune vulgum fidelium, ista sunt signa, quae reddunt hominem vehementer suspectum de heresi, & illam satis indicant, nisi ex circumstantiis significatio impediat.

2. Conditio.

Eius ratio.

Et variis casibus explicatur.

12. Secunda conditio est, ut exterior actus, aut verbum, per quod heresis interna manifestatur, sit graue peccatum externum intra rationem heresis. Ratio est, quia haec censura non incurritur, nisi propter heresim externam; ergo in illa eadem specie debet esse peccatum graue, quia nec censura, nec excommunicatio maior generatim loquendo, incurritur nisi propter peccatum mortale, neque ista in particulari, nisi propter tale peccatum. Deinde explicatur exemplis: nam qui interius commisit heresim, licet illa sacramentaliter confiteatur, non sit hereticus exterior, neque incurrit censuram, quia illa confessio non est professio heresis, sed potius accusatio, & optima actio. Similiter qui mentaliter errauit, & consultit virum doctum bona fide, & animo, ut remedium quaeratur, non propterea incurrit, quia ille actus non est peccatum, & consequenter non potest esse materia censurae. Idem dicendum est, si contingat, ut solet, aliquem in somno verbis exprimere, quod in vigilia cogitauit; nam licet hoc modo exterius proferat heresim, non incurrit censuram: tum quia ille actus exterior, re vera non est peccatum ex defectu libertatis: tum etiam, quia illud non est signum consensus in heresim, quia nec significat praesentem liberum consensum, quem dormiens dare non potest, nec praeteritum, quia possent verba illa oriri ex sola cogitatione praeterita sine libero consensu. Et ad hunc modum possunt multa in particulari inferri, & varij casus decidi, quos omitto, quia solum materialiter differunt, & in infinitum multiplicari possunt. Solum ergo est necessarium, principia posita recte applicari. De illis tamen videri possunt Iul. Clar. lib. 5. §. Heresis, nu. 24. & Hugolin. de Censur. Pontif. referuat. 2. p. cap. 1. num. 17. & Couarr. in regul. Peccatum, p. 2. in principio. Simancas tit. 31. num. 9. & tit. 42. num. 10. & sequentibus, & copiosius, quam ceteri Sanc. lib. 2. in Decal. cap. 8. Garcia de Benef. p. 11. cap. 16. à num. 98. & Farinac. de heresi quest. 187. à numero. 11. Videantur etiam dicta in tomo de censur. disp. 4. sect. 3. numero 17.

SECTIO III.

Virum ex vi huius excommunicationis teneantur omnes fideles ad vitandum omnem hereticum sibi notum.

Discrimen nouituri ab antiquo in hac re,

1. **V**T intelligantur dubia, quae in hoc puncto occurrunt oportet breuiter supponere ius antiquum, & nouum circa obligationem, quam fideles habent ad vitandum excommunicatum sibi notum. Nam iure antiquo, haec obligatio vniuersalis erat, nec postulabatur alia conditio ex parte excommunicati, nisi quod in ipsa excommunicatio nem incurrisset. Ex parte vero aliorum, solum erat necessaria sufficiens noticia censurae, hac tantum obseruatione adhibita, ut si excommunicatus esset occultus respectu aliorum, occulte vitaretur; si vero publicus, publice. Postea vero in Extrauag. *Adeuitanda*, edita in Concilio Constant. & postea probata in Basiliensi, limitata fuit illa obligatio, ut fideles tantum tenerentur vitare excommunicatum, in particulari, & nominatim denunciatum, ac declaratum, cum quadam limitatione, quam infra attingam. De quo iure videri possunt, quae dixi in to. 5. disp. 9. sect. 2. In praesenti ergo nulla est difficultas iuxta antiquum ius.

§. dub. an heretici non denunciati sint vitandi.

2. De nouo autem iure potest esse primum dubium, an ita habeat locum in hereticis, sicut in alijs

excommunicatis. Et occasionem dubitandi nobis tribuit Soto in 4. distinctione 20. quaestione vndecima, articulo quinto, conclus. 2. & distinctione vigesima quinta, quaestione prima, articulo primo, post tertiam conclusionem, vers. *Hic tamen*, & articulo tertio, colum. 9. vbi docet, omnes hereticos esse vitandos, in quo videtur quoad illos limitare dictam Extrauagantem *Ad uitanda*. Sed quia hoc nulla poterat ratione subsistere, hanc indicat rationem, scilicet, quia eo ipso, quod aliquis agnoscitur hereticus, tanquam nominatim excommunicatus ab omnibus habetur. Sed hoc etiam ut volunt: id dicitur, & plane falsum est, quia nullus est nominatim excommunicatus, nisi iudicis sententia intercedat, ut ex ipsa voce patet, & ex verbis praedictae Extrauagantis. At vero non omnes heretici sunt per hominem iudicati, praesertim in particulari, sed tantum ipso iure excommunicati sunt: ergo non possunt dici omnes denunciati, etiam si cogniti sint. Quapropter statuendum est, hoc nouum ius Concilij Constantiensis etiam ad hereticos extendi, ut reliqui auctores omnes censent, quos statim referam, & verba Extrauagantis conuincunt, quae, & generalia sunt, & addunt exceptionem, quae firmat regulam quoad omnes alios, ut statim magis explicabo.

3. Secundum dubium est, an saltem teneantur fideles vitare publicum hereticum, etiam si nominatim denunciatus non sit, aliqui enim affirmant, & solet citari Syluest. verb. *Excommunicatio*, 5. nu. 7. & 8. & Couarr. in cap. *Alma mater*, 1. p. Paragr. 1. nu. 3. Sed non loquuntur in particulari de heretico. Vnde de duobus modis potest heresententia fundari. Vnus est, quia in dicta Extrauagant. ut habetur in Concilio Basiliensi, excipiuntur omnes manifesti excommunicati. Alius est, quia publica noticia requiritur declarationi iuridicae, ad quid enim declaratio necessaria est, ubi res est nota?

4. Contraria sententia omnino vera est, & practice certa, nimirum quantumcumque hereticus sit notorius, & publicus, non teneri fideles ad vitandum illum, ex vi huius censurae, donec sit per sententiam nominatim declaratus, ac denunciatus. Est communis sententia, & Auctores statim referam. Ad illam vero fundandam supponendum est, in exceptione, quae fit in dicta Extrauagant. *Adeuitanda*, standum esse verbis illius legis, prout ex Concilio Constantensi, refertur, ubi solum excipitur notorius percussor clericus, & non prout habetur in Concilio Basiliensi, ubi generaliter excipitur omnis publicus excommunicatus. Quia licet Concil. Basiliensi, posterius fuerit, nihilominus Martinus V. prioris formam approbavit, & communi vsu Ecclesiae recepta est, ut latius ostendi in dicto tomo 5. disputat. 9. sect. 2. & tradit Nauarr. Conf. 10. & 15. de heretico. Soto in 4. distinctione prima, quaestione quinta, articulo sexto, & distinctione 22. quaest. 1. artic. 1. Garcia part. 7. de Benef. cap. 14. à num. 40. & plures alij, quos ibid. refert. Hinc ergo euidenter inferitur nostra sententia, quia exceptio firmat regulam in contrarium; sed ibi fertur lex vniuersalis, ut non teneantur vitare excommunicatos non denunciatos, & non excipiuntur heretici, sed soli percussores clericorum: ergo firmatur regula etiam respectu hereticorum. Et hinc etiam conuincitur, non esse idem, esse declaratum per sententiam, & esse notorium per factum, quandoquidem voluit illa lex in solo vno delicto sufficere notorietatem facti, etiam si sententia non interueniat. Et generaliter loquendo, verum non est, ubi specialiter lex requirit particularem sententiam declaratoriam, suppleri sufficiens per publicam notitiam facti, ut recte notauit Simancas titulo nono, numero centesimo sexagesimo sexto, & in sequenti disputatione latius dicemus.

§. Ex